DE PLICA
Tractatus
MEDICO-PHYSICUS
Cum
Remediorum Methodo,
Noviter
ELUCIDATUS.
AB
ONVPHRIO BONFIGLI.
Medicinæ Doctore.

Anno Domini 1711.

CRACOVIÆ.
Ex Chalcographia Francisci Cezary, S. R. M. Jllustrissimi & Reverendiss. Dñi Episc. Cracoviens. Ducis Severiæ, necnon Scholarum Novoduorscianarum Ordinarij Typographi.

AMICO LECTORI.

A Pestilentiali contagio Cracoviæ grassante, dum in Silesiam recesseram, ab exercitio Medicæ Praxis vacantem ad ea exponenda, quæ mente fovebam, otium me induxerat. Cùm autem conscriptus morborum capitis Liber Plicam ordine præsentaret, à conciso instituto stylo parum aberraveram; quoniam de hac tantummodò Herculem Saxonia, Thomam Minadoum, Rodericum à Fonseca, & Danielem Sennertum quondam non satis scripsisse memineram. Et quandoquidem in Polonia hoc capillorum vitium precipuè Endemium, frequentissimum, & huc usq; obstinatum omnibus clarè demonstrandum, & cura publica indigere perspexeram, hinc non solùm prolixiorem discursum necessarium esse duxeram, sed adhuc in Vernaculam linguam traductum & ab integro volumine separatum, Typis mandari curavi. Remotus ab omni vanitatis amore, Magno alicui Nomini dicatum hunc Libellum illustrare nolui, sed Tibi Benevole Lector, Opusculum, quod sola pietate in bonum commune scripsisse protestor, commendatũ offero.

Vale.

DE PLICA.

Tractatus Medico-Physicus

cum remediorum Methodo.

PEculiaribus vernaculis morbis Regiones aliquæ distinctè infestantur. Septentrio Maritimas præcipuè oras respiciens, Endemio Scorbuto subjectas inficit plagas. In India Occidentali, uti in suo loco Natali, Venerea lues communiter crudeliori contagio propagatur.

In Styriæ, Carynthiæ, Hungariæ, & plurimis alijs montibus, incolas ferè omnes Bronchocele deformat. Sic familiaris Plica Polonis, quàm rarò in Medicis Libris hucusq; tractatam, ab incurabili desperatione ut redimam commiseratio me persuadet.

Etsi Polonica dicatur, est adhuc extensa per Litvaniam, Russiam Rubram & Tartariam Minorem, ubi non solùm ad humanum genus, sed etiam ad equos, & alia bruta, diffunditur. Hungaris etiam aliquibus hoc malum innotescit, & ex observationibus Schenchij Brisgois, Alsatis, Belgis, nonnullisque Rheni tractibus frequens esse reponitur.

Et quamvis in cæteris Europæ partibus tale Plicæ nomen vix audiatur, credibile tamen, quòd ubiquè produci aliquando contingat; sed utpotè

ignotus morbus aſpernitur, ſic evitando ſpurcitiem, uſu pectinis non permittitur capillos intricari, quin potiùs abſcindantur vel abradantur. Et quis inplexum crinium ex equorum jubis turpiter pendentem à me quoquè in Jtalia interdum obſervatum, & vulgò *il Folletto* vocatum, acſi à Dæmone cauſaretur, veritatis hujus argumenta promovere negabit? Immo in obſervatione LXXI. Decadis 2dæ Anni 8vi. Ephemeridum Germanicarum Naturæ Curioſorum, legitur de quodam Fabro-ferrario Labacenſi in Carniola; cui non ſolùm ex una parte penes aurem capillorum contorſio ad extra propendebat, verùm & poſt alteram aurem molliuſculus & indolens tumor per multos annos ad ovi magnitudinem excreverat; ex quo tandem ſuppurato & aperto, capilli mirè contorti, cum modica viſcoſi ichoris ſorditie extracti fuêre.

Quouſquè intacta, ac vegeta religioſè Plica ſervetur à Symptomatibus præſervat incolume corpus: ſi verò aut pectendo irritetur aut incidatur, ſubjectæ partes in quas morboſa cauſa deponitur periclitantur; nunc caput doloribus vel oculos defluxionibus viſui infenſiſſimis afficit, nunc reſpirium difficile, necnon cordis oppreſſiones inducit, modò ſtomachi turbat concoctionem, & ventris tormina ſuſcitat, & adhuc in fæminis cum paſſionibus Hyſtericis confunditur; modò Paralyſim, convulſiones, dolores Arthriticos, tumoreſq;, ac ulcera cauſat; hinc Febres erraticas, laxitudines ulceroſas, anxietates, ſudores fætidos nocturnos, Tabem, ac plurima alia damna producit; ita ut morborum Protheus omnium Symptomatum Larvas aſſumat,

In

In equis pariter hoc idem comprobatur, è quorũ plicosis jubis turpissimæ tricæ ultra cæteros crines excretæ, & quasi ad terram usq; aliquando extensæ, alacritatem, robur, & celeritatem ipsis conservant; è contra post incisionem segnities, cæcitas, aut pedum tumor, ut plurimùm sequuntur.

Hinc non dubitanda hujus Endemij morbi genuina existentia, quamvis quàm plurimi verum cum falso confundant, & ansam multis Physicis præbeant indistinctè credendi, vanum esse vulgi errorem.

Quoniam certissimum est, quòd plebs rusticorum impura caput plectere nescia, cum in gramine sæpè degat, inter asperas herbas intricet capillos, quorum retortæ extremitates, naturaliter intersecari debent & varios nodos formare; quod cæteris Nationibus succederet, si mundities contrarium non suaderet. Nostri verò Poloni statim ac illius intricamenti principia observant, germen veræ Plicæ, ad salutem pululasse putantes, diligenter colunt, ut in fædum & Medusæ simile ornamentum excrescat.

Neque contradicere possumus non paucos esse homines, qui dum aliqua difficili, vel longa infirmitate vexentur, à Plica causari non suspicentur, & quia tunc caput à pectendo cessant, & vino oleoq; consultò inungunt, quousquè emplastrati crines conglutinentur, arte tricas efficiunt, ut satisfaciant opinioni morbum ad extra alliciendi, qui secum omnem causam è corpore asportet. Huic plaudentes non desunt Medici, qui cùm ægros sanare non valeant, deceptæ, communi credulitati

assentiri malunt, quàm propriam ignorantiam fateri.

Quilibet, ut facilè sinceram infirmitatem à chimera dignoscat, observabit, legitimam Plicam semper viscido quodam humore madidam præcipuè in stipite, è quo abscisso purulentum sanguinem interdum extillasse contigit: pariter ubi implantatur immediatè turgidiusculos fovere capillos, ac statim è cute prosilientem, mirabiles intersecationes inchoare, gravemq; spirare odorem

Falsam ab impuritate procedentem distinguemus, cùm vel paleas, vel similia aliena simul cum crinibus intricata ut plurimum abscondantur; sic dum non in caudice sed potius, in medio, & circa extremitatem complicatio subsistat; sic dum capilli naturalem temperiem, proportionemq; non amiserint.

Quæ ab arte non indiget signis, sed quoniam accidere posset veræ Plicæ causam latitantem remediorum auxilio ad extra evocari; dubium nihilominus tractu temporis tolletur: falsa etenim manifestabitur, si comæ quò magis excrescent; eò longiùs glutinatam tricam à cutè asportaverint; quarum pars dum continuò à pondere tracta è sua radice secedat, at semper tricis inhæreat, molem taliter adaugere solet, ut videram hujusmodi Plicas tandem de toto eradicatas cecidisse.

Phthiriasis seu pediculatio inter diagnostica signa non admittenda; quia cùm spurcitiem subsequatur, in omnibus tàm morbosis, quàm factitijs Cirrhis concurrere potest.

Legitima ergo Plica sic definitur. Est capillorum irregularis complicatio vel unam, vel plures

tricas

tricas extendens, propter ſanguinis particularem dyſcraſiam in capillorum alimentum aſportatam à cauſa communi patria

Hæc quamvis in capite germinare aſſueverit, in alijs quoq; piloſis partibus aliquando obſervare datur, & non ſolùm hæreditaria, verùm etiam contagioſa experitur.

Capillos vegetabiles eſſe omnium oculis apparet, & adhuc mediante Microſcopio non ſolùm dignoſcimus externam aliorum figuram eſſe triangularem, immo & quadratam, nec non aliquorum teretem & politam, verùm & interne tubulatam perforationem diſcernimus cum diaphanitate; & illorum ſiſſibilitatem frequentes bifidæ vel trifidæ extremitates demonſtrant.

Radices autem quæ in poris cutaneis implantantur Tuliparum bulbis ſimillimæ, atq; (non aliter ac tubuli) tranſparentes deteguntur; in quorum obtuſo fundo (dummodò integre eradicetur) convexus ocellus nigro colore proeminet cum puncto ſeu porulo pupillam ſimulãte, per quem fluido liquori adaptatum pateat ingreſſus; ad hoc: anatomia tandem patefacit vaſculis ſanguiferis tenuiſſimis, & nerveis filamentis ſubtiliſsimis radices iſtas irrigari.

E tali ergo diaphanitate, alimentum inter anguſtiſſimum canaliculum percurrens concipere debemus tenuiſſimum, moleculiſq; homogeneis conflatum ſeſe non interſecantibus, ut liberum, ac rectum tranſitum irraditionibus lucis non intercipiant. Cujus alimenti Naturam ſcrutari liceat, e capillorum diſtillatione, quæ ſubtiliſſima illorum fluida componentia in unum reſtringendo, oleo-

ſum nobis præbet liquorem Salinovolatilem, & fætidum, qualem comburendo capillos odore comprobamus

Oleoſitatem præexiſtere noſcimus; quia hæc nulla artificiali violentia non tam è cute emanans, capitis integumenta inungit, quàm è porulis lateralibus ipſorum capillorum in aliquibus tranſudans, acſi oleum perfunderetur, impinguat. Sal quoq; manifeſtatur à crepitu, quem crines emittunt, dum accenduntur.

Volatilis iſte liquor in halitus rarefactus, & per tubulatum canalem penetrans, juxta variam aëris, & temperamenti diſpoſitionem varijs coloribus capillos depingit. Sic oleoſitas ſubtiliſſima ſi Meteorizata Salia proportionatè modificaverit, undolas, & annulatas ornabit comas; ſi aſpera volatilia Salia oleoſitati prædominaverint, incriſpatos corrugabunt crines; è contrà humido aquoſo diluta molliorem oleoſitatem reddent, & eoſdem in longum extendent. Radicis quoque configurationi pro alimento cribrando dicatæ multum tribuendum, non tam cauſa laxioris & ſtrictioris pororum compaginis, quàm ipſorum rectitudini, & obliquitati.

Quod alimentum ſe ſucceſſivè inſinuet, teſtatur Cultura capillorum, qui circa calidum ferrum revoluti, & exſiccati, cincinnos non diù perſiſtentes componunt, quoniam à novo affluxu relaxantur; crines autem mortui ſemel in factitijs comis contorti per longum tempus perſeverant, quod ſimile in virgulis arborum pro paritate vegetationis experimur.

Hæc

Hæc in naturali fiunt ſtatu; ſed in gradu, præternaturali Plicæ, res alio modo procedit, ubi alimentum è ſua indole degenerans deprehenditur: Tunc etenim Salia oleoſa minùs volatilizata, ſed aſperam viſciditatem adepta, in bulbos capillorum conveniunt, & inde per tubulos ſubintrant, ad illam uſq; diſtantiam, quæ laxiorem locum penetrationi concedit; cùm verò ad extrema anguſtiora, propter craſſitiem, eadem fluiditate pervenire non poſſint, retardantur in via, & propè ſtipitem cum majori concurſu ſubſiſtentia canalem in latum taliter extendunt, ut dilatatum capillorum fiſſile corpus tandem cum rima creparare, faciant; unde reſinoſus liquor, ſicuti ex arbore ſauciata emanat, qui combinatus cum illo è cutaneis quoq; poris exiliente præ copia adaugetur.

Extrema interim capillorum pars à ſubtili conſueta irradiatione non ſatis refocillata, paulatim extenuata exſiccatur: & ſicuti crines ab humido extenduntur, ita hoc deficiente contrahuntur, quos ſicco pulvere aſperſos videmus in curvam lineam per ſe converti, atque ſupra lamina igni expoſitos vermium adinſtar convelli.

Quomodo à ſiccitate hoc fieri poſſit, non abſimilem reddimus rationem, cur flores, & reliquarum arborum flexibiles rami ad ſolem, quoque versùs reſpiciat, inclinent: illius namque radij in caulem vegetantis plantæ impingentes, effluvia ex iſta directione copioſiùs, quam ex oppoſito eliciunt; & ob vacuas poroſitates concidentes, corticem in iſta eadem parte corrugari, & ſuper adnatum pondus inflectere cogunt, donec ex imbuta nova

ſubſtā-

ſubſtantia vis reſiliendi contra retro gravitantem preſſionem reſumatur. Sed ultima capillorum medietas obſtructa ob inſiti humoris inæqualem reſolutionem irregulariter contrahitur, abſq; ſpe ſe denuò extendendi, cùm influum alimentum intercipiatur.

En Plicæ primordia, quæ à capillis incipit, ſimul agglutinatis in immediato limite captis, dum eorum retortæ cuſpides adhuc à pileo, vel iacendo compreſsæ, ut unâ cum ſtipitis viſciditate adhæreant, illuc admoventur, & duplicantur, inter quorum interſtitia, multiplices aliæ interſecationes inſinuatæ, varijs nodis intricantur.

Augmenti præbent modum veteres capilli, qui à radice ſecedentes cum Plica tamen concatenati ſemper retinentur, & relictis bulbis virtutem nova emittendi germina non adimunt, quæ tenellula vix foras exilientia inter adultorum tenacem tranſudationem agglutinantur; & quia è cute excreſcendo adhærentem extremitatem elongare nequeunt, ſed corpus contorquere debent in arcum, cum alijs, ideò continuò ſuccedentibus irregulariter intermixti deformibus, & ſpurciſſimis connectuntur tricis. Sequentis demonſtrationis exemplum facilis approbationis lumen expandet.

Si duo ejuſdem ſpeciei virgulta eodem tempore, & prope naſcentia artificiali glutine ſimul connectamus, unitè, & æqualiter contigui, gemelli adoleſcent, ſi verò recenter exortum cum pede adultæ plantæ ſimili arte uniamus, videbimus molle germen ab immobili adhærente impeditum, non ſe naturaliter in altum extollere, ſed depreſsum

humili

humili tortuositate vegetare. Ad hoc vis alia accedit, quod sicuti alimenti asperitas crispos capillos efficit, hîc magis quoque corrugationem promovebit, Salina ruditas cum crassitie coniuncta.

Verùm quidem est, quòd comæ in tricas fœminarum more compositæ longiùs excrescere soleant, quàm si relinquantur solutæ, & nulla vittarum constrictione attractæ, sed non ita succedit in Plica, ubi alimentum vitiosum æqualiter ad extrema non pervenit, & elongari capillos non permittit. Hoc quamvis paradoxum appareat illis, qui ultra consuetam mensuram pendentes cirros primo oculo judicant, diligentiùs tamen aspicientibus extensionem illam, decidentium capillorum concatenationem tantummodò esse manifestabitur.

Morbi formalitate, causaque materiali proxima, & immediata satis expositis, ad remotam procedamus. Hæc in sanguine perquirenda, è quo duplex recrementitia glutinositas distinguitur, aliaque, in similem gummatibus substantiam concrescit, uti est mucus, & lippositas, alia, quæ resinosa congeritur, uti est aurium cerumen, & capitis unctuositas, quæ sæpissimè cum sudoribus febrium solitò viscidior capillos tenaciter inquinat, & hujusmodi indoli Plicosa materia assimilatur.

Hæc tamen excreta, ut talia, non existunt in sanguine, sed cum alijs mixta elementis, diversa facie disposita: nihilominus exuberantia respective hujus vel illius heterogenei componentis naturalem sanguinis crasim pervertit. Ab excretis ideò internam humorum constitutionem conijcere licet. Quis etenim non affirmaverit inter apes mel-

lificantes

lificantes & earum Ziberinum cum cæteris animantibus disparitatem intercedere humorum? Sic inter hominem, & hominem, quorum excrementa aliquo modo diversificentur, parem non esse temperaturam? unde Plicæ vitium constituo in abundantibus sulphureis particulis, cum salibus volatilibus, non ritè digestis, nec subtilizatis, sed in asperam & rancidam visciditatem adinstar olei amurcæ concretis.

Ab hujusmodi ergo humorum dyscrasia fixam & continuam fovente Mineram, Heterogeneum illud quoties ad fermentationis gradus exaltatur, toties sub capitis cutem ut plurimùm deponitur, & in capillorum radices penetrando successive foras amandatur.

Mira ecquidem naturæ providentia, quæ sicut particularia viscerum colatoria, & ubique varias glandulas pro diversis impuritatibus humorum cribrandis construxit, ita pororum configuratione speciali capillatam cutem dotavit, ut cum Plica latitantis causæ productum criticè despumaretur. Si autem Amurca Plicosa intrò retineatur, vel ob internam fermentationem minus attenuantem, nec satis concocta heterogenea expellentem, vel ob extrinsecam excisionem, quæ aëri causam, præbeat condensandi affluentem humorem ad extrema crinium oscula, ita ut cicatrice illic obducta extillare Materia non possit, tunc rancidus sanguis evadere solet, qui vel effervescendo, vel asperè circulando, modo has, modò illas excitat turbas, quantas diversa particularum heterogenearum combinatio in dissimilibus temperamentis commovere

potest;

poteſt; atque in ipſo corde motrices fibras uſque convellit, aut opprimit; in cerebrum depoſita, & ſuccum nerveum conſpurcans ſubtilior, aut craſſior ſenſuum & motuum organa irritando, aut opplendo, ſpaſmos, paralyſim, aliaſque nervoſi generis affectiones cauſat; Ad inferiora viſcera tranſcolata ipſorum fermenta perturbat, unde à rudi Salino-oleoſa, miſcela, digeſtiones, & ſegregationes confunduntur, atque affectiones tàm Hyppocondriacæ quàm Hyſtericæ producuntur; In ſero lixiviali ſoluta; & per glandulas hinc inde ſegregata, aut extravaſata ranciditate peregrina exaſperat, modò capitis membranas, modò oculos, aures, perioſtia, vel articulos, modò fauces, & pulmonum bronchia, in quibus hoſtiliter reſtagnat; nunc ad putredinem digeſta in ſudores graveolentes liquatur, nunc cruda in ſcrophulas, ſtrumas, & gummata condenſatur, quæ interdùm maturando per ſal ad corroſionem exaltatum in ulcera cachóëtica, & fiſtuloſa degenerant.

Talia morborum fermenta, quæ ſemel in ſanguine radicata multiplicativam virtutem poſſident, difficillimè de toto ſupprimuntur: immo non tantùm cum ſeminali ſpiritu partis, vel nutrimento Materno ſpecificum idearum ordinem retinentibus in filiorum hæreditatem transfunduntur, verùm etiam expanſiva eadem efficacia per contactum pilei, aut pectinis, à Plicoſo tractati ſano capiti communicantur, ſicuti Tinea Tineam, Scabies Scabiem, & cæteri contagioſi morbi ſibi ſimile reproducunt, ita per determinatas partes, & non per alias juxta organorum proportionem infectio ſuſcipitur, & in

diſpoſita

difpofita fanguinis Materia effectum propriæ activitatis eliciunt.

Fermentorum multiplicationem claro demonftrat exemplô cerevifiæ braxatura, & panificium, & fubtiliffimorum corporum vim expanfivam teftantur antiqua vina in cellis recondita, vindemiarum tempore ebullitionem renovantia, quamvis mufti fermentantis exhalationes per longum áeris tractum exportari debeant. Hinc minor dubitandi erit locus, ubi immediatus contactus, & proxima transfufio fupponitur.

Ubi autem nullus contactus, neque hæreditaria infectio fufpicetur, nullam aliam procatarticam caufam dignofcere poffum, quàm fpecificam in fingularibus Regionibus aquam. Aer etenim ab omnibus ibidem æque infpiratus omne genus hominum indiftinctè ad Plicam difponeret: & cibus fi inculpari deberet fedentarios potiùs & parafitos occuparet. Quoniam verò obfervamus frequentiorem effe hunc morbum, inter rufticos, & pauperes à progenitoribus derivantes, qui aquam bibere affueverant, & hos adhuc in fimili potu perfeverantes, phantafticam aliam originem non inquiram.

Jmmo obftupefco quare tales homines continuis corporis laboribus affueti; etfi craffiori alantur cibo, ob copiofam tranfpirationem immunes ab hoc morbo non reddantur; ficuti fefe præferuant à Podagra, calculo, & alijs quàm plurimis affectionibus, quibus divites infeftantur.

Credendum eft ergo Plicæ caufam, id eft oleofas particulas craffas cum Salinis volatilibus crudis in fanguine ftrictè colligatas à fero non facilè dilui,

ut fimul

ut ſimul per corporis tranſpirationem ſeparari poſſint, ſicuti aquoſum menſtruum gummatum reſolutioni adaptatum, reſinas intactas relinquit.

Vel ſi mediante aliorum Miſcela, Materia morboſa cum ſanguinea Maſſa diluatur (ſicuti reſinæ cum vitello ovi, aut cum amygdalis contuſis, non minùs ac oleoſæ eſſentiæ cum ſaccharo prius diſſolutæ, intimè deindè ſimul cum aqua uniuntur) nihilominùs per omnes glandulas indifferenter cribrari non permittet, ſed ad poros piloſæ cutis particulariter configuratos delata ibi tantummodò ab interpoſitis particulis liberabitur denuò, & veluti in appropriata matrice, in pinguem vitioſum liquorem excoquetur, qui pro capillorum nutrimento inſinuabitur. Exemplo diverſæ ſpeciei plantarum in una terra, quarum una quælibet ſibi diſtributam diverſam ab alia ſubſtantiam aſſumit, juxta Organizatam filtrationis diſpoſitionem.

Hinc eſt, medicamenta omnia communia, quæ per ſeceſſus, ſudores, vel urinas movent, nocua potius in tali caſu experiri, quia multum exagitant, & nihil de morbi cauſa reſolvunt, per loca non competentia.

Cirroſæ affectionis primitivum fontem aquis, quæ à montibus Carpatijs per Pocutium pluribus fluvijs excurrunt, attribuit fama, cui vix fidem præſtare poſſum; quia in alveum Tyræ concurrentes, & Mare nigrum ſubeuntes extrema Ruſſiæ Polonicæ tantummodò lambunt. Credibile eſt, obſervatum ibi morbum alicui curioſo primam ſpeculandi occaſionem dediſſe; cæterùm cùm per integrum Poloniæ dominium æquè extendatur,

alijſq;

alijſq; remotioribus terris, cum quibus nulla communicatio contagioſa ſuſpicari poſſit, approprietur. Univerſalior igitur origo cum rationibus magis particularibus perſcrutanda.

Unde autem hujuſmodi inſalubritatem contrāxerit aqua, ſequentibus patebit.

In terræ viſceribus oleosā Materiā foveri indicāt bitumina, & petrolei ſcaturigines, fontes, thermæ & mineræ ſulphureæ, ac montes ignivomi in multis locis patentes. Tacitè verò ubique mediante fermentatione centrali unctuoſi vapores ad terræ ſuperficiem elevantur & ipſam impinguant; pro cujus fertilitate facilitanda neceſſarium duxerat Natura incompoſſibilitatem olei cum aqua inamicabilem concordiam conciliare; ideòque tertium adhibuit medium, ideſt nitroſum ſal ab áere circumābiente communicatum, ut in unum mixtum hæc tria colligata in plantarum abirent nutrimentum variè diſpoſitum juxta poros, & delineationem figuræ ſeminalis.

Tale ſuppoſitum confirmatur, quoniam hæc eadem principia, præter violentam deſtillationem in ipſis vegetabilibus ſatis per ſe manifeſtantur, quāvis adhuc ſub mixti larva velentur; id eſt ſulphur in reſinoſis arborum lacrymis, & in pulvere accenſibili, qui ſuper muſco terreſtri & coryli turionibus reperitur: ſal, ut acidum in ſucco limonum, & in folijs acetoſæ, ut dulce in ſacchari arundinibus, in uvis paſſis concretum, & ſupra caricas efflorеſcens, ut ſalſum in herba Kali, quæ ad littora maris Ægyptij copioſè creſcit ſapiens ad inſtar muriæ, præter algas, ſimileſque in mari naſcentes plantas; dummo

dummodò afleverare nolimus, has potius ab extrinſeco condituram per macerationem recipere: communiter etenim Salia ſubintrant in plantas vel flu orem adepta, vel à ſulphure modificata, ac variè diſpoſita, à quo ſapores quàm plurimi emergunt. Puriſſima ſimiliter aqua ex inciſis ſurculis vitis extillat, & è foramine in trunco betulæ facto abundanter emanat.

Fertili pinguedine ſatis imbutam terram Polonam teſtatur ſegetum abundantia, abſque magno culturæ labore; non aliam ob cauſam, niſi quia plana, & mollis, rariſſima continet ſaxa: ubi etenim ſilicum copia, ibi ſterilitas diſcooperitur ob ſubterraneas exhalationes ad ſuperficiem interceptas; ideòque in cacuminibus montium diutiùs perſeverant nives, quamvis ſoli propiùs expoſitæ, & citiùs in exculto campo diſſolvuntur, propter poroſitates dictis effluvijs patentes. Hæc ipſa poroſitas ad ſpiritus nitroáëreos in ſinu terræ commiſſibiles ſuſcipiendos, pro vegetabili conceptione neceſſariò requiritur.

Aqua nivis, & pluviæ non ſolùm prædictæ copulæ fluiditatem impertitur, & ſalia àëreonitroſa, quæ in ſe continet adauget culturæ ſatisfaciendo; ſed etiam ſuperabundans ſecum adhuc rapit de pingui ſale copioſo, & in terræ viſcera penetrans per cæcos ductus in puteos, lacus: fonteſque concurrit, Hinc eſt. quod Nilus aquarum craſſitiè campos inundans majori adhuc fertilitate vices pluviarũ adimplet.

Præter communem pinguedinem ob terræ loturam, ádditur illa extracta à multis Salinoſulphureis

Mineris quæ per Poloniã diſperſæ frequenter reperiuntur, ubi aliqua terræ ſpatia obſervata fuere, quæ ſpontè flammam conceperant, & latè extenderunt incendium: Sic nuper in Palatinatu Sandomirienſi propè Dombroviam Stagnum, quod antea cum aquæ ſufficientia copiam piſcium fovebat, dehiſcentibus cryptis exſiccatum paulatim remanſerat; paſtores poſtmodum in ſiccas arundines immiſerant ignem, qui non ſolùm in ipſam repſerat terram, ſed etiam exinde per plurimos campos, in quorum glebis inflammabile pabulum latebat, diffundebatur, ubi poroſiſſimum ſolum & calcando reſonans, vacuas intro cavitates indicabat: tandem abſumpta materiâ combuſtibili extinguebatur incendium, & aquæ denuò pluviæ ſicuti antea congregatæ concavum locum impleverant.

Hinc probabiliter ſic ratiocinari mihi concedatur: ubi reſpectivè poroſior terra ad centrales uſq; ſinus continuata, ibi exhalationibus copioſis pinguibus magis imbuitur, quæ ſi ſubtilibus Salinis fluidis combinantibus impregnetur, Sulphureum Minerale concretum concipiet. Aquæ autem naturaliter in declivium excurrunt, ſed in planitie terram minùs reſiſtentem excavant, per quam ſibi viam aperiunt, quâ poſſunt. Et ſic credibile eſt hujuſmodi ſulphuratam terram, ut pot è rariorem ab aqua depluente emollitam faciliùs ſubſidere, quàm alibi quouſque interpoſita ſpatia excludendo, ſtrictiùs componat fundamentum, & ſic in aquarum alveum adaptetur.

Non redarguant me quæſo Phyſici nimiæ arrogantiæ, ſi exemplo Dombrovienſi perſuaſus ſuppo-

nam

nam, quàm plurimos lacus, & ſtagna iſtius plani Regni Poloni, ſuper ſulphuratos alveos reſidere; unde ſequitur forſan quod non æquè territoria omnia ad Plicam diſponant.

Sed dato etiam caſu: Plicoſos inveniri rariores propè iſtiusmodi loca, ſicuti in cæteris Regionibus nullum, quamvis minerali pinguedine pariter ditatis; non ideò tamen mea corruit ſententia. Scio etenim plurimas thermas potiùs medicamentoſas maximi levaminis eſſe in multis morbis; & ſicuti aliæ reperiuntur aquæ intenſiſſimæ & venenatæ, juxta Mineralium unionem, quæ tandem multiplici aliarum concurſu diſperſæ, & per terræ colatoria purificatæ in ſuam nitidam & priſtinam revertuntur conſtitutionem, è contra obſervamus ſaluberrimas aquas per miſcelam, & corruptionem converti in peſſimas, & uſq; ad peſtiferam infectionem.

Sic non eſt ſemper neceſſarium quò propiùs oleoſam originem, eô frequentiùs Plicæ effectum ſubſequi debere; Sed potiùs ubi tales aquæ congeſtæ poſt digeſtionem & circulationem unà cum volatili univerſalium exhalationum pinguedine, mixtum alio modo diſponant, ac exaltatam ſpecificæ inſalubritatis activitatem aſſequantur.

Præterea quælibet unctuoſitas Mineralis non ubiq; ſub unico aſpectu, & ſimili proprietate, ſed per variam mixtionem in multiplices formas à chymica natura elaboratur: hic in ſulphur commune, vel in lapideum carbonem concreſcit, ibi in ſuccinum aſpaltum, vel camphoram diſponitur, alibi in petroleum, raphtam, aut ſimilia bitumina diſtribuitur,

Credibile ergo ſit oleoſitatem Mineralem procul adhuc cum aqua aſportatam faciliùs quoq; ſingularem Plicæ parere effectum, in illis locis, in quibus ſingulari compoſitione modificatur

Quod de àére diverſo modo alterato juxta mundi diſpoſitas plagas varietatem morborum cauſante approbatur, ab aqua pariter per terræ pinguedinem particulari modo vitiata ſpecificum effectum Poloniæ cum adjacentibus Provincijs communem confirmare liceat.

Aſſertum hunc vigorabit craſſa pinguedo in aqua Polonica exiſtens, quam diligenter ſcrutabor. Salinas oleoſasque particulas ſimul cum aqua confluere non dubitandum, quæ ex mutua illorum combinatione, & quantitate ſimplicior aut impurior, medicata, aut inſalubrior evadit. Optimæ aquæ ſigna ſequentibus verſibus inveniuntur expreſſæ.

Sic aqua clara fluat, qualis nitidiſſimus æther,
Dulcis, & exigui ponderis & gelida;
Vt tenuis currat nullo puriſſima limo;
Sitq; ſapor nullus, ſit procul omnis odor.
Frigeſcat breviter, modico ſimul igne caleſcat
Utilis & duris apta leguminibus.
Hanc mihi ſi quis aquam dederit vinoſa valete,
Pocula, nam vincit optima lympha merum.

Hujus notæ aquas non potui in Polonia invenire, ubi omnes craſſæ & ſalſæ experiuntur Non alloquar de aqua pluviæ, aut nivis, neque de illa, quæ per torrentes & flumina rapido curſu per montes deſcendit: ſed, quæ per planam terrã, percolata lacus, & ſtagna componit, aut in puteis excavatis reſtringitur, aut per fontium ſcaturigines proſilit,

&

& quæ ad potum uſumque culinarum communiter inſervit. Ea quæ iſtius puritatem perturbant, & viſum effugiunt, ſubtiliori acumine ſunt perquirenda.

Et ut facilius hoc elementum vitiatum furtum fateatur in ſe abſconditum, oculiſque noſtris celatum, ſeveriſſimam ſubeat torturam: quandoquidē manifeſta indicia ſatis ipſum incuſant, & convincunt.

Vidi etenim aquam è puteis Polonis, quamvis pro melioribus celebratis, in vaſe vitreo politiſſimo diù conſervatam, concavos parietes ſubflavo tinxiſſe colore, qui nulla alia arte extrahi potuerat, quàm per acerrimum lixivium: evidentiſſimum ſignum, tincturam illam fuiſſe ſulphuream, quæ, ut amica ſalia lixivialia intimè amplectatur, ſuperficiales adhæſiones relinquere ſolet.

Vidi etiam cum ſapore hanc aquam non eſſe miſcibilem, reſpectu aquæ pluvialis, & fluminis; quia cùm ſatis ad plenitudinem ſit onerata ſalibus, oleoſisque craſſamentis, ſuperadditum quoque compoſitum è lixivio & pinguedine incapax ſuſtinendi redditur.

Quibus addo ſalſum nauſeabundum ſaporem & interdum ingrato odore conjunctum. Hinc ſtrictiùs eandem examinans, craſſiorem ac ponderoſiorem eſſe reſpectivè ad exteras exprobo, dum innatans inſtrumentum pro librandis aquis inventum à denſiori fluiditate contranitente hìc magis ſuſtinetur, nè tàm altè profundet.

Deinde in diverſas aquas parum de ſale Saturni infundendo vel de aqua roſarum per campanam plumbeam deſtillata, Polonam obſervo facilius la-

ctescere, densioremque nubem efformare, quæ promptiùs ad fundum præcipitatur

Aquam tandem lentè evaporando, subtilissimam residuam terram collegi satis abundanter relictam quam exsiccatam, ex humili urinali aperto igne per gradus adaucto destillans, guttulis oleosi liquoris Salinovolatilis capitellum delibutum percepi.

Ex his, alijsque experimentis idem comprobantibus, quæ brevitatis gratiâ relinquo, en aquæ Polonicæ culpa manifestè patefacta, in crassa pinguedine particulariter vitiata, cujus ultimam differentiam distinguere impossibile sensibus redditur, unde Plica procatarticè procedit.

Exulet ergò illius potus; & ab ijs qui ob pauperiem eximi non possunt; non admittatur nisi saltem castigata, & correcta sicuti dicemus.

In cerevisiæ fermentatione evidentissimè defecatur, sicuti in ferculorum ebullitione cum salis communis additamento invertitur; ita, ut nisi valde dispositis officiat Nunquam etenim observare, neq; audire mihi contigit, ullum exteræ nationis hominem, quamvis à pueritia in Regno Poloniæ habitantem tali affectione immunda correptum fuisse:

Nec omittendum, sævissimam pænam, cujus incapax redditur aqua per statutum legis decretum refundi debere contra impios, qui propriam Plicam abscissam in cerevisiam, crematum, aut mulsum infundunt, & immundos liquores, aut hospitibus propinant, aut alibi vendunt; idq; à fide dignis narratum acceperam, asseverantibus spurcissimum tale crimen passim ab Iudæis patrari; qui putant Plicæ morbum ab ipsis in portatores transplantari,

Certissi-

Certissimum quidem est, contagiosam infectionem hoc modo in alios transfundi posse, sed non assevero, quod ideò extirpetur in illis unde procedit origo.

Hinc forsan apud ingenuos Polonos mos poculi ceremoniosus invaluit, ut qui ad bibendum invitat; antea gustare ipse soleat; deindè cum salutari testimonio de eodem liquore amicis officiosissimè offerat.

Ex omnibus hucusque allatis Cirrorum morbum per Physicas causas productum fuisse, demonstratur; & perconsequens quidquid de fascino, Incubis, & de similibus fabulosis vulgò traditur, superstitiosum esse credamus.

Insanabiles sunt propriè illi morbi, qui in arida Senectute cum spirituum deficientia superveniunt, vel in destructo irreparabili organo visceris alicujus pro vita sustinenda necessarij consistunt, vel ab humorum aut spirituum tali corruptione procedunt, quæ ad habitum pristinæ constitutionis amplius reduci non possit.

Alij verò dantur, qui propter impuram miscelam, & vitiatum motum, agnoscunt tantummodò Massæ sanguinis, & succi nervei cum spiritibus naturalem œconomiam alteratam; sed quia rarò aut difficulter sanantur, incurabiles lato modò dicuntur, inter quorum numerum & Plica adscribi debuit.

Nunc autem ex hoc ordine ipsam hucusque paucis, & efficacibus fulcitam remedijs, & jam solo prognostico quasi desperatè relictam, pietate sincera ductus omnibus viribus eripere conabor

Et quoniam macula Sanguinis oleosa statim, &

 facilè

facile deleri nequeat; ideo antequam abluatur per purgantia, placidis & appropriatis abstergentibus præparari debet.

Beta alba, cujus decoctio sicuti pannum pinguedine infectum perpolit, virtutemquè saporis adauget, nostræ pariter intentioni satisfacit, si succum à folijs expressum, & à subsidentia percollatum lentè evaporabimus, & usq; ad extracti consistentiam considerabimus. Tunc,

℞. Istius Succi condensati, unciam unam.
Stibij diaphoretici, drachmas duas.
Flor. Salis Armoniaci, drachmam unam.

Mil. fit Massa, quæ servetur ad usum in forma pilulari, cujus dosis sit drachma semis, continuando per 15 dies mane, & vesperi, & superbibendo jusculum. Vel sequentes pilulæ substituantur.

℞. Albi Stercoris Gallinæ, vel columbi, vel anseris drach: quinq;, quod pulverisatum misceatur cum æquali quantitate succi, Betæ, condensati & detur in forma pilulari ad scrupulos duos pro vice per duas Septimanas ut supradictum. Tunc securius purgatio instituatur, lenior per Magisterium Tartari solutivum Beguini, quod sic paratur.

℞. Magisterij Tartari in aquæ communis soluti unciam unam, Scammonij sulphurati in q. s. Spir: Vini sol: drach. tres, mis: ambas solutiones & in B.M evapora; id, quod residet, pulverizetur, & detur ad scrup. sem. vel in dosi adaucta juxta robustiorem complexionem, mixtum cum Saccharo ad gratiam: sumi poterit in jusculo, emulsione, aut ovo, sorbili rejecta albedine, aut cum rosarum conserua purgato sic corpore,

℞.

℞. Fol. Parietariæ,
Rorellæ,
Flor. Hypericonis, } ana pugill: unū, in toto.
Sambuci,
Calendulæ

Miſ. Bull. leniter in ſeri lactis caprini, unc. octo in colatura miſ.

Stibij diaphoret. ſcrup: ſem:
Flor. Hæmatites cum Sale Armon: ſubl: gr: ſex.
& per duas Septimanas quotidie mane aſſumatur, in lecto per horam quieſcendo, ut libera tranſpiratio ſequatur.

Interim quolibet veſperi balneetur æger per horam ante cœnam in aqua fluminis cum qua folia Hederæ arboreæ & ſaponariæ ac tota planta ſigilli ſalamonis latifolij, ſcrophulariæ, lapati acuti, & fumariæ bulboſæ ebulliverint. Poſtea repetatur purgatio per Spiritum Vitæ aureum Rulandi, qui ita paratur.

℞. Trochis Alchand. unciam ſemis.
Spir. Vini, uncias duodecim.

Miſ. in vitro opt. clauſo, & poſt ſufficientem digeſtionem liquor clarus ſervetur ad uſum. Doſis ſit à drach: duabus ad unciam ſemis.

His præmiſſis.

℞. Gum. ligni guaiaci nat. Pulu. Citrini accenſibilis, qui ſupra muſco terres clavato reperitur, diligenter collecti ad gr. ſ.
Pul. Viperini recentis, ſcrup. ſemis.
(Huic Viperino, poteſt ſubſtitui Pul. Serp. Vulgar. ſcrup. unum)
Flor. Hæmatit. cum Sale Armon. ana gr. tria.

Pul.

Pul. Milleped. præpar. ana gr. tria.

Mil. fiat Pul. pro dosi matutina quæ assumatur cum sequentis aquæ Stibiatæ unc: sex.

℞. Stibij crudi } ana unc duas.
Petræ pumicis }

Crasso modo pulv: misc & includantur in sacculo quem infunde in libr. vj. aquæ comm. adde

	Ligni Juniperi	unciam unam.
	Sassafras,	ana unciam semis,
Rad.	Caryophillatæ,	
	Vincetoxici,	
	Scrophulariæ,	drachmas duas.
Fol.	Ulmi,	manipulũ unum.
	Fumariæ,	ana pugillũ unum.
	Scabiosæ,	
	Saponariæ,	
Sem.	Anisor,	pugillos duos.

Simul bulliant lentè in vase clauso per horas 4. quo refrigerato fiat colatura, quæ servetur ad usum; id est. Unc sex in vase clauso calefactæ assumantur, ut supra monitum cum pulvere, 4 horis antè prandium in lecto stragulis cooperiendo, ut sudor provocetur; & aliæ unc. sex. bibantur, vesperi cum Tinct. diaphor. Antimon gr. 25 dato intervallo duarum horarum ante, vel post cænam: in quorum usu per mensem prosequi debemus; advertendo, eundem supradictum sacculum pro qualibet renovanda decoctione inservire posse: Sic quilibet ad gustum uel passulas contusas, vel liquiritiam vel cortices citri, aut aurantiorum addat.

Vel loco dictæ Tincturæ Antimonij diaphoreticæ infundantur folia Rorellæ in Spiritum Vini, ut

mace-

macerentur; de quo ſumantur guttæ 40 ad 60. cum prænotata decoctione. Adnotandum Rorellam colligendam eſſe in diebus canicularibus Luna creſcente, die ſereno, ac calido, dum folia tranſudare ſolent; tunc etenim ſummè viget, & per ſudores ſpecificum edit effectum.

Per curam hanc praviam ſatis purificato ſanguine, Plica tuto abſcindatur, & caput abraſum ſemel quotidiè abluatur, cum ſpiritu frumenti rectificato, vel cum lixivio communi, in quo folia ſaponariæ, & parietariæ radices Cyclaminis ſemina ſtafiſagriæ, & lupinorum craſſo modo contuſa decoquantur, ut horum virtute, abſterſiva fomes è capillorum radice extirpetur. Hæc lotio non dimittatur, quouſque capillos excretos pectine poſſimus excolere, quod etiam maxime à principio conducet, dum Plicam per contagium timeamus. Et nè ullum remaneat Scrupulū retentæ reliquiæ cauterium in brachio, ſaltim ad tempus aperiatur.

Hæc pro Plica recenti.

Contra verò inveteratam crudeliori Synthomatum tyrannide ſuperbientem magis aptum & efficacius non datur remedium, quàm Suffumigium Cinnabaris Artificialis: dum etenim hæc accenditur, Mercurius Minerale Sulphur, à quo fixabatur relinquit, & in corporis poros penetrans, novam ſanguinis Sulphuream ranciditatem amplectitur, quam ſimul raptam placidè cum ſudoribus extrahit, abſque ullo ſalivationis diſcrimine, dummodo tali methodo adminiſtretur.

Poſt præparantia & balnea jam adnotata, & poſt diem intermedium quietis à purgatione facienda,

reli-

relictis alijs remedijs, immediatè ingrediatur Patiens in Laconicum ab accenſo cremato, vel alio ferventi liquore, vel igne excalefactum, & taliter adaptatum, ut vapores retro per caput aſcendere poſſint, faciei tamen libertate ſervata: & cùm ſudare incipiat ſupra accenſas prunas tres pilulæ deſcriptionis ſequentis imponantur, unà poſt alteram renovando, ſi opus fuerit, ut de toto comburantur. Media horâ ſudando, & ſimul in excipiendo ſuffumigio expleta, calidis linteis exſiccetur æger, & in calidum quoque cubile ingrediatur, ubi quieſcat per horam circiter ſtragulis moderatè tectus: deinde indutus ad áerem apertum non exeat, per dies 20. in quibus ſemel quotidiè continuare debet in tali ſudore cum fumo; & adhuc ab hoc expleto tempore, domi ſeptimanam abſumere pro meliori ſecuritate convenit.

Interim dum talia fiunt, cereviſia cum infuſione Fol. Ulmi ordinariè bibatur, & regula in victu carniũ tenui, & facilis digeſtionis ſervetur, abſque acidis, ſalſis, crudis, & ſimilibus pravæ ſubſtantiæ cibis. Tandem poſt Laconicum proſequatur per Menſem in uſu aquæ Stibiatæ prædictæ unâ cum adnexis.

Admoneo quod tantummodo in Vere & Æſtate Suffumigium admittatur, cujus eſt talis deſcriptio.

℞. Cynnabaris Artific. unciam unam.
Olibani.
Myrrhæ, } ana unciã ſemis.
Styracis odor.

Miſ. fiat Pul adde Balſami Peruviani drachm. unam; & cum Spir. Vini, q. s. fit Maſſa, de qua formen-

formentur globuli 60. ad usum prædicti suffitus.

Curativam partem explevimus; sed quoniam plurimi inveniuntur, qui timent, ne Plicam contrahant, aut jam contraxisse suspicentur propter æquivoca signa; præservativum ideò & incipientis morbi extinctivum remedium in hujusmodi essentia restringam.

℞ Fol. Rorellæ rec. in diebus canicul. coll. manipulos sex.
Betæ albæ,
Fumariæ,
Scabiosæ,
Hyperici cum flor. } ana manip. duos.
Rad. Scrophulariæ
Caryophillatæ,
Vincetoxici, } ana unc. quatuor.
Sem. Anisor.
Feniculi } ana manip. duos.

Mis. contunde, & exprime succum, qui in B.M. leniter evaporetur ad mellaginem.

℞. Hujus Succi, uncias sex.
Pul. Milleped. præp. unc. unam.
Farinæ flavæ sub musco terres: reperibili, unc. semis
Spir. Vini dephlegmati lib. unam & mediam.

Mis. digere & distilla S. A. aliquoties cohobando. Dosis à guttis 30. ad 40 quolibet mane in Vino, aquaCinnam: aut aliquo liquore appropriato.

Proposueram aquæ correctionem Rusticis, & Pauperibus valdè necessariam, quæ sine ullo dispendio facilè assequi poterit. Bulliant ergo leniter in qualibet aquæ olla pugillum turionum, seu strobilorum pineastri, vel abietis, & refrigerari permittant.

Sic

Sic etenim balſamica, iſtorum volatilitas, potûs corruptioni reſiſtet, quem cito permeabilem reddet, ne per diuturnam inprimis vijs moram impuritates intrò, depoſitæ retineantur.

Divites adhuc itineris neceſſitate ducti aquam interdùm bibere coguntur. Ne ideò & ipſi ſuo commodo ſalubri defraudentur, & nauſeam evitent, vel parum de Spiritu Vini Aniſato, vel de ſequenti pulvere admiſceant.

℞. Sem	Fæniculi,	uncias duas.
Rad	Glycirrhizæ raſæ,	drachmas ſex.
	Cinnam: acuti,	unciam ſemis.
	Sacchari albi,	uncias quatuor.

Miſ fiat Pulvis ſubtiliſſimus, qui irroretur cum Spir Salis dulcificati, unc. ſemis, exſiccetur in umbra, & ſervetur in vitro Hujus pulveris diſſolve quantum cuſpide cultri capi poteſt, in quolibet cyatho aquæ, quæ ſic correcta, grata, & diuretica evadet.

Ex his in publicum bonum ſi quid redundaverit. Providentiæ Naturantis gratiam miremur; & cùm haud ſatis vindicaverim falſæ imputatam Medicinæ inefficaciam pro Plica pellenda, humani ingenij debilitas quæſo excuſetur.

NB. *In charta ſexta, columna* 12. *Verſu primo, philuræ primæ;* lificantes & earum &c: *lege,* catum zebethinum